

THOMAE
SEGHETI
BRITANNI

ΜΕΛΕΤΗΜΑΤΑ ΥΠΟΓΕΙΑ

Ad Ampliſſ. V.


HENRICVM WOTTONIVM
Equitem, Sereniſſimi Britanniae, Galliae,
Hiberniae Regis ad Venetam
Remp. legatum.



C36
HANOVIAE
Apud Claudium Marnium, & heredes
Ioan. Aubrii.

CIC. MD CVII.

29.
Auctor offerbat
die XIX Octobr.
MDCVII.
G 1893 A.



3

VIRO AMPLISSIMO
HENRICO WOT-
TONIO EQVITI, SERENIS-
SIMI BRITANNIAE, GALLIAE,
Hiberniae Regis ad Venetam
Remp. legato.

NON dissimulabo ambitio-
nem meam Vir Amplissime,
neque praetexam amicorum
preces aut publicae rei stu-
dium; quae alios in ora homi-
num producunt. Vltro fate-

bor ad huius schediasmatis editionem meo me
consilio volasse; vt pauci qui haec legent (ne-
que enim audeo mihi numerum polliceri; sed
nec ambio) sciant affectare me vt tibi placeam.
Quo tuo merito, taceo, ne & tu tuae mode-
stiae, & alii suae inuidiae non esse habitam ra-
tionem querantur. Scio ego laudes vnicum
prope praefationum argumentum. A tuis ta-
men ego tempero, quas praeposterum studi-
um sit

Culpâ deterere ingeni.

& sanè pluris mihi sunt, quam vt (cum alio po-

4

erâ) stridenti stipulâ meâ disperditû eam. Quid
tibi debeam, libens prae me fero. Sed quicquid
est (quod certè multum est) me tacente iam sci-
unt multi, & tibi bona conscientia pro prae-
mio est. Mihi verò,

*Si scelus intra se tacitum qui cogitat ullum
Facti crimen habet,*

quidni liceat officium studio testari, si minùs
implere? Sed tibi iam videbor implese qui mi-
hi nec dum coepisse. Tu haec, ut libido erit, vel
rigidissimè cense, vel contra censorum (si cui
tamen tanti erunt ut censeat) seueritatem tuẽ-
re. Ego beneficii loco habebo quaecunque il-
lius iudicium, quem in summâ calamitate meâ
fensi *εὐσπέρην*, in periculo patronum. Sed ma-
num de tabulâ, ne ultra libelli molem protra-
hatur epistola. Tu V. A. vale, & OPTIMO
PRINCIPI longum viue. Francofurti XII.
Kalend. Aprilis CIO IO CVII.

Aeterno mancipii nexu tuus

THOMAS SEGHETVS
BRITANNVS.

QVIS-

QVISQVIS ES,

cui haec legere libebit vacabitque, cogitare te velim meo me stilo, alieno animo scripsisse, si quid fortè a pietate alienius videbitur. Quas adiecimus notas, in eorum usum sunt, quibus, quia non vacat cultiores scriptores peruolutare, haud perinde fortasse promptum sit videre quò respexerim. Adde quòd ingenuè profiteri volui a quo quidque habeam.

6
ΒΙΩΝΟΣ ΕΙΔΥΛΛ. Ε.

Εἴ μοι καλὰ πέλῃ τὰ μελύδρια, καὶ τὰδε μῆνα
Κῦδος ἐμοὶ θήσονται τὰ μοι πάρος ὥπασε Μοῖσα.
Εἰ δ' ἔχ' ἀδεία ταῦτα, τί μοι πολὺ πλήονα μοχθεῖν;

THOMÆ

THOMÆ SEGHETI BRITANNI

ΜΕΛΕΤΗΜΑΤΑ ΥΠΟΓΕΙΑ.

I.

Carmen Ὕμνον.



¹ Vrge anime ex humili, ² téque ad meliora re-
serua:

Surge anime ex humili; nec te fortuna minaci

Deiciat vultu; ³ sed contra audentior ito

Frete DEO, frete ex alto virtutibus haustis.

Luminibus aude fixis spectare furentem

Impete tam vasto, tam proelia saeuacientem.

Surge anime ex humili, téque ad meliora reserua.

Procliue est immuni oneris incedere recta

Ceruice. ille vir est, cui celsa atque ardua colla

Iniuisto sub fasce manent. illi excipere hostem

Non satis est venientem: absentem in proelia poscit.

Surge anime ex humili, téque ad meliora reserua.

⁴ Non illum inuat e facili quae lecta corona est:

Illa inuat quam sudori dedit ardua rupes.

Surge anime ex humili, téque ad meliora reserua.

Ergo aliquando libet ruere ultro in certa pericla,

Et vires pernosse animi, casusque futuros

Expectando praemollire atque experiundo.

Surge anime ex humili, téque ad meliora reserua.

⁵ Scilicet. ut fuluum rapidis quò saepius aurum

¹ Hemistichion hoc
totis octo mensibus
post carmen absolu-
tum in Propertio
obseruauit.

² Verg. Aeneid. i v.
... aut quae me ad
maiora reseruo.

³ Verg. Aeneid. vi.
Tu ne cede malis,
sed contra auden-
tior ito.

⁴ Propert. Non
inuat ex humili
lecta corona ingu.

⁵ Ouid. Scilicet
ut fuluum specta-
tur in ignibus an-
turo.

Excoquitur flammis, tantò pretiosius exit:
 Sic crebris agitata malis mens purior exit
 Cognatúmque sapit magis aethera, cognatúmque
 Facce DEVM positá propiori limite tangit.

Surge anime ex humili, téque ad meliora reserua.

Quàm magis atteritur ferrum saxóue manúue
 Tam mage splendorem exutá rubigine sumit;
 Haud aliter mens aduersis attrita nitescit.

Surge anime ex humili, téque ad meliora reserua.

6 Horat. Duris
 ut ilex tonsa bi
 pennibus Nigrae
 feraci fronda in
 Alcido, Per da-
 mna per caedes ab
 ipso Ducit opes a
 numúmque ferro.

6 Cen durá nondum alta ilex attonsa bipenni
 Ferro animúmque & opes per caedes ducit ab ipso;
 Ferro animúmque & opes per clades ducit ab ipso:

(Surge anime ex humili, téque ad meliora reserua)

Haud aliter, si quem summus meliore beavit
 Mente parens, crescunt damnis virésque animique
 Usque adeo ut caeli libeat sentire ruinam,
 Dum tamen haud aliud feriat caput illa premátque.
 Tanta aliorum cura, DEO fiducia tanta est.

Surge anime ex humili, téque ad meliora reserua.

7 Simile aliquid in
 Seneca legere me
 memini. nec verba,
 nec locus occurrit.

7 Gratius haud vllum mortali semine cretis
 Spectaclum praebet Circus, nec mille theatra,
 Quàm certans fortunae animus diuisque sibique.

Surge anime ex humili, téque ad meliora reserua.

Helotas passus vino indulgere Lycurgus,
 Passus deliciis; Spartaë cum libera pubes
 Nuda hyemes nuda aestates toleraret, & atro
 Pane famem puraque sitim restingueret vnda,
 Suesceret & duro somnos captare cubili:

(Surge anime ex humili, téque ad meliora reserua)

Sic lex prima DEVS, si quem melioribus ausis
 Dignum habet, huic variis mentem antè laboribus armat:
 Quem non exercet, non dignum ducit, habetque
 Molliter, ante tubas nempe hosti terga daturum.

Surge

PROPHETA.

9.

Surge anime ex humili, tēque ad meliora reserua.
 Non frustra DEVS eripuit nos mille periclis:
 Non frustra casus iuuenem durauit ad omnes:
 Non frustra magnos voluit superare labores:
 Non frustra verā voluit virtute teneri.
 Surge anime ex humili, tēque ad meliora reserua.

I I.

Τίνας αὖ λόγους εἶποι L. BRVTVS filios secu-
 ri percussurus.

Ceruicem properè¹ praebe iam non mea proles.
 Forti animo ferias lictor. neu parce parentis
² Aspectu. pater esse nego³ quis Roma nouerca est.
 At vos asserti lacrymas cohibete Quirites.
 BRVTVM orbum praestat, quàm seruam viuere Romam.

I I I.

Τίνας αὖ λόγους εἶποι idem BRVTVS cum¹ Arunte
 Tarquinio infestis hastis con-
 cursurus.

Libertate aliquid maius tibi Roma relinquam:
 Hoc est quod toties votis animisque petiui.
 Tantorum tandem scelerum dabis improbe poenas.
 Tam² vili cadere ipse manu non abnuo diui,
 Dum cadat ille meā. Spectabit Iuppiter Vltor.
 Hasce tuo damus inferias Lucretia busto.

B

lii Vindicis ad auspiciū & praesagium futurae ultionis trahabatur. Verum in Plinii lib. xxxvi. cap. xv. etiam Iouis VLTORIS nomen extat ipsam: Pantheon IOVI VLTORI ab Agrippa factum.

¹ Iuuenal. Prae-
 benda est gladio
 pulchra haec &
 candida ceruix.
² Verg. tēque a-
 spectu ne subtrahat
 nostro. iidem:
 Parce metu Cy-
 therea. crebra apud
 poetas huius figurae
 exempla sunt.
³ Lucanus.
 -- quibus mea Ro-
 ma nouerca est.

¹ Florum secuti su-
 mus, cuius lib. i. cap.
 vii. haec sunt ver-
 ba: Tarchintis tam-
 diu dimicauerunt
 donec Aruntem
 filium regis manu
 sua Brutus occidit,
 sepeque ipsum
 mutuo vulnere ex-
 spirauit; planè
 quasi adulteris ad
 inferos usque se-
 quere tur.

² Vili. ob intentam
 Lucretiae ferrū.
 quod viro aduersus
 feminam indignum.
³ Apud Tacitum xv.
 Annal. inuenio pu-
 gionem Secuini a
 Nerone sacrum a-
 pud Capitolium in-
 scriptumque IOVI
 VINDICI. quod (ait
 Tacitus) in praesens
 haud animadu-
 sum, p. st arma In-

I V.

CL OELIA virginibus Romanis obsidibus fugam suadens.

E Ia agite o sociae, patriam remeemus ad urbem.
Virgineus pudor inuiso malè creditur hosti.
Et iam, siue hostis retrahet, seu Roma remittet,
Nil grauius patiemur. in hunc saeuire pudebit,
Credo, viros sexum. Duce me Tiberina fluenta

¹ Dido apud summū poetarū Aeneid. iv.
Dis equidem auspici-
bus reor & lu-
nona secunda. &c.
² Ob Mucii Scac-
lae facinus, qui er-
rantem dextram i-
gne absumsit.

Intrate: ¹auspiciis procedent cetera diuis.
Roma sciat, sciat Hetruscus, sciat Ausonia omnis,
Non solos audere ²viros ingentia Romae.

V.

M. CVRTIVS in voraginem daturus se
praecepitem.

¹ Simile est illud
Sophoclis Antigona,
ἀλλ' αὐτὸς ἴσας τῆς
αἰῶνος δὲ θύρας
αἰ δὲ καὶ κατὰ τὴν
² Hercules, The-
seus, Aeneas, Or-
pheus.

S Pirantem aspicient manes. Non altius ullum
Defodietur humo funus. non laxior ulli
Continget tumulus. Potuit ²dis orta propago,
Vno autem saltu nemo descendere ad umbras.
Romanum hoc. Causa saltum librare iuuares
Roma tua manes vel caeli a vertice ad imos.

V I.

P. DECIVS iunior se pro legionibus
deuouens.

GEntile hoc DECIIS. Iterum victoria caede
Constabit tibi, Roma, ducis. Dis Manibus hasce
Mittimus inferias iterum. & tibi mittimus hasce.
Inferias genitor. venio tua vota secutus:
Nec libet hanc magnis mortem mutare triumphis.

VII.

L. MANLIUS TORQUATUS filium, qui iniussu ipsius
feliciter cum Gallo pugnaverat, securi
percuſſurus.

O Bſequii ſit cura prior quàm laudis. habebis
Exemplum; ſpecta miles, ac diſce timere
Induperatorem. Obſequio Romana viget res.

2 Caefar apud
Lucin. --- ſpecta
miles, ac diſce fe-
rire.

VIII.

M. ATILIVS REGVLVS a Carthaginienſi-
bus tortus.

Perſta anime, obdura. Cruciatus barbare tortor
Ingemina. DVLCI Eſt fidei patriaēque ſalutis
Eſſe reum. Hoc volui. Bene ſi mihi cognita Roma eſt
(Parua mora) hoc Poeni pœnas pro ſanguine reddent.

1 Tacit. Hiſt. 1.
Nonium, Dona-
tium, Romilium,
Calpurnium cen-
turiones, de quibus
ſuprà retulimus,
occidi iuſſit, da-
mnatos fidei cri-
mine grauiſſimo
inter deſcendentes.

IX.

L. SERGIVS CATILINA mortem oppetens.

Iam nouus Arpinas plaudet ſibi. iam CATILINAM
Illi etiam mirabuntur qui odere. ſtetiſſe
Pro patria dicet videat quicumque iacentem.
Par fuerat tanto ſcleri. fortuna, ſaueri.

1 Salluſtius in Con-
iurat. Catilinæ:
Catilina verò longè
a ſuis inter hoſtium
cadauera repertus
eſt.

X.

CN. POMPEIVS MAGNVS moriens.

Heſperii timor orbis, & orbis terror Eoi,
Ante annos magnâ meritis virtute triumphos
Seruatus tibi, Roma, fui per publica vota,
2 Prouida cùm optandas dederat Campania febres,
Me duce deſererere vt deſpolianda tyranno?
Mecum Roma ſuâ migravit ſede, ſecutis
Tot ducibus, tot in arma viris, Phariſalica noſtræ
Rura fugæ vt primùm mox orbis conſcius eſſet?

1 Triumphauerat
enim anno ætatis
xxiv. ante quàm ſe-
nator eſſet.

2 Iuuenal. Pro-
uida Pompeio de-
derat Campania
febres Optandas.
quod mihi in mente
erat cum hæc ſinxi.
Simile eſt (quod poſt
obſeruauit) illud
Propertii,
Iſſent Phlegraeo
melius tua funera
campo.

Ingrati arbitrio ut pueri (proh fata fidemque)
 Mancipii & caderem dextrâ? Iam reddite campos
 Fata mihi Emathios piget, (ah!) te Roma tuentem
 Non soceri cecidisse manu, iugulumque dedisse.
 Mors inuisa quidem, at non MAGNO indigna fuisset.

3 Luci demum & libris redditus multo post factos hos versus observant similem in Propertio sententiam, Aut etiâ socero colla daturus erat.

X I.

CORNELIA Pompeii vxor viri caede:
 conspectâ.

1. Consulto orationem hanc extendimus ut mulieris frenos dolori laxantis. Induximus autem viriliter & Romanè dolentem Corneliam.
 2. Seposuerat enim Lesbon Pompeius uxorem. Lucanus copiose.
 3. Similis Corneliae querimonia est apud Lucanum.

Hoc superi patiuntur? ad haec spectacula? Lesbos:
 Servauit? Magni spectat CORNELIA caedem,
 Et viuit? Crassi fatum mihi nuntia fama:
 Pertulit. indulgit fortuna oculisque pepercit.
 Tres tulit infelix dominos vrbs alta Quirini:
 Flammea nostra duos merxerunt funere. viuit
 Tertius. atque utinam soli tibi teda iugalis,
 Me subeunte, tuo fulsisset limine Caesar!
 Orbi esset certè melius; quaeque impia vota
 Nunc spargo in ventos, patriae pia vota fuissent:
 Orbi esset certè melius; quaeque irrita vota
 Nunc spargo in ventos, patriae rata vota fuissent.
 Illa quidem dominos, sed⁴ libertate teneret
 Incolumi.⁵ Ah quid agis? ah puppim flecte magister;
 Et me damnata poteris exponere terrâ.
 Sic oneris vacua infausti ratis ocyor undas
 Sulcabit; sic sulcabit felicior undas.
 Ah liceat Magni nostrum miscere cruorem!
 Ah liceat miscere animas; comitemque per umbras:
 Errare, errantes & Crassi visere manes!
 Ah liceat miscere rogos; sitam aspera fata
 Permittent sperare rogi Magnae mihi ve..
 Impie, quisquis in haec saeuisti viscera ferro,

4. Lucanus de Pompeio ... solua
 Libertate tamen.
 quò respexi.
 5. Cornelia, ut quae doloris tota erat, ferro animaduertit sublatis ancoras.

6. Nota veterum superstitione, qui errantes animas per umbras putabant quibus iusta non essent facta.
 7. Lucan. lib. 1.
 umbræque errantes
 Crassi insulae.

Quem

Quem non fama viri, quem non mouere triumph;
 8: Quem non aspectus toti venerabilis orbi,
 Non⁹ gentes mouere a transcurrente subactae,
 Impie, quid cessas & nostrum haurire cruorem,
 Et pietate uti? licet hoc tibi sanguine Magnum
 Placare, & Pharium duplici donare tyrannum
 Munere; & a Phario duplex sperare tyranno
 Munus. An effuso metuis de sanguine probrum
 Femineo? securus abi; metus omnis abesto:
 Cui scelus haud Magnus caesus fuit, haud erit illi
 Femina caesa probrum. Inuet haec in viscera ferrum:
 Condere, & ultorem (forsit) praeuerrere Magni.
 Sed vindicta manet propior, si numina terras
 Respiciunt; si odere nefas: Quid numina posco?
 Si scelus odissent; Pompeium Roma teneret
 Incolumi populo incolumem incolumique senatus;
 Nec sumtis armis pro libertate, fuisset
 Ludibrium, fortuna; tuum fugiensque cadensque:
 Si scelus odissent; toto non orbe senatus
 Erraret, nec successu bona causa careret,
 Nec victor traheret mundum in discrimina Caesar.
 Quid queror? aut ubi sum? Decet hoc fera numina tantum:
 In Magnum licuisse nefas? licuisse cuiquam
 Quod socero haud licuit? Vires age contrahe Sexte
 (Si Magni magno superest de nomine quidquam
 Post obitum, & 10 diuim tangunt mortalia quemquam;
 Non iustis decrunt odiis regesque ducésque
 Armáque, fortunaéque virum, melioráque fata)
 Contrahe opes Sexte, & priuatam ulciscere cladem:
 Túque o Cnaee, infausta refers qui nomina patris,
 Contrahe opes. aliis res esto publica curae;
 Vos vindicta decet patris. 11 Lageius omnis
 Vnius pendat populus pro crimine poenas.

8 Puto inter fragmen-
 ta Sallustii exsistere.
 Pompeium fuisse o-
 re probo. fragmen-
 tum auté est in Sug-
 tonii libello de illu-
 stribus Grammaticis
 seu Rhetoribus.
 9 Lucanus: Gen-
 tibus indignum est
 a transcurrente
 subactis.

10 Si eni videbun-
 tur haec diffona ab
 iis quae paucis ante
 versibus Cornelia co-
 tra prouidentiam di-
 xit, meminerit a mu-
 liere motae mentis
 effunda omnia.

11 Virg. Aeneid. 11.
 dixit, Priamela
 virgo eadem in-
 flexione & nos feci-
 mus & 78 Lageius.

*Aetatem, sexum nullo discrimine habete.
 Hoc ingrate puer meruerunt reddita sceptrā?
 Hoc ingrate puer meruerunt reddita sceptrā?
 Infandā (ah!) pereas tūque & genus omne tuorum
 Morte; nec vlla vllum subeat miseratio vestri.
 Quā pandit se cumque Aegyptia terra dehiscat,
 Sitque sibi tumulus. Nilus se comprimat alueo,
 Et neget iratus Phariis alimenta colonis:
 Dein mare confundat Nilum sitientiāque arua:
 Nec sint vlla super sceleris vestigia tanti:
 Nec sint vlla super tetrae vestigia terrae.*

XII.

M. CATO moriendi certus.

¹ Ensem intelligit, quo accepto fuisse iuris dixisse Plutarchus est auctor.

² Iuuenal. Sat. XIII.

³ Credebantque hoc grande nefas & morte piandum.

ut emendauit Lipsius.

⁴ Sub domino.

sub domino. ut

illa in libero carmine.

Propter olus, dices,

hoc ego propter

olus.

⁴ E Plutarcho constat M. Catonem de

providentiā non recte

prophisse. neque

minus haec Stoicum

deceat quam illud

Lucani in eiusdem

Catonis personā lib.

1. Crimen erit superis & me fecisse

nocentem.

Prospiciat iam quisque sibi. multo antè CATONI
 Prouisum est. libertatem si fata recusant,
¹ Hic dabit. haud quisquam dicet seruasse CATONEM.
 Et iam crimen erit non vnā ² morte piandum,
 Quam spreni toties vitam debere tyranno.
 Ergo ³ sub domino moriens te, Roma, relinquam?
 Sub domino. ⁴ fati hoc crimen facinusque deorum est.
 At mihi non raptae desunt solatia mortis,
 Nil quidquam indignum fecisse tulisse CATONE.

XIII.

M. BRVTVS occidendi Caesaris consilium capiens.

¹ Ille enim instigauerat Dionem ad libertatem Syracusanis restituendam. & vel pueris notum est M. Brutum Platonis sectam secutum.

O Mores! Regemne & eodem tempore BRVTVM
 Roma feret? non hoc magni mihi secta ¹ Platonis

*Permittet, non hoc mihi magni secta Catonis,
Non hoc ille² auctor generis. Optanda tyrannis
Hac mihi fortè fuit tenuis, ut possint numero aucti
Libertatem iterum BRUTO debere Quirites.
³ At scelus est quocumque indignum, sanguine amici
Commaculare manus⁴ opibusque & honoribus auctum.
Maius erit patriae iam dudum deesse⁵ vocanti.
Credo equidem, priuata odia at non publica fas est
Donari. & certè veniam hanc dabit ipse tyrannus.
Tantum audere alius possit sine crimine: BRUTVS
Te propter, Roma, ingratus patietur haberi.*

² L. Brutus qui Tarquinios Romā capulit.

³ A. Iulius Caesar.

⁴ Haec ex historia nota sunt.
⁵ Inde illud subscriptum statuac, *Brutus* *uirum*, ceteraque quae Suetonius in Caesare Dictatore exsequitur.

XIV.

C. IVLIVS CAESAR moriens.

*H*ostili in tellure, tot inter tela, tot enses,
Et medias inter¹ flammās² mediāsque procellas
Seruasti fortuna, inuisti ut victima Magni
Corruerem³ ante pedes patribus dans iura vocatis?
Scilicet inuictus per aperta pericula CAESAR
Non potuit nisi fraude mori. Tunc cum agmina Munda
Romana ancipiti vidit concurrere Marte
Debueram, fortuna, pati tela inter & enses
Vltima fata,⁴ meaque animam hanc effundere dextrā.
⁵ Caesareo fuerat sternendus vulnere CAESAR.

¹ Alexandriae, cum in regia oblideretur.
² Tum cum naue concessa, reluctantibus ventis, gubernatori dixit: *Caesarem*

rem & fortunam eius vehis. Sueton. in D. Iulio. Lucan. 3 Ante statuum Pompeii.

⁴ A Suetonio memorie proditū est Caesarem praelio quod ad Mundam Hispaniae urbe cum Pompeii liberis commisit, de consciscenda sibi necesse aguisse, ne viuis in hostium potestatem veniret. Est autem ex Aeneid. 1. sumtum hoc hemistichium. *tuamque*

animam hanc effundere dextra.

⁵ Ouid. XIII. Metamorphoseon haud absimilem sententiam habet: *Nec quaquam Aiacem possit superare nisi Aiax.* quod multo post verius factos obseruauit.

XV.

PORCIA M. Bruti vxor, Catonis Vticensis F.
audita viri morte.

*P*ORCIA rumpe moras, & fortibus utere tandem
Consiliis. nihil est lucem cur amplius optes.

¹ Plutarchus in vita Catonis 78. *τολῆς* auctor est Porciam iam tum cum M. Bruto Caesaris interficiendi consilium sumsit, fortis animi periculum fecisse adacto in pectus ferro.

² Tacit. Annal. 1.
Postquam Bruto
& Cassio extinctis
nulla iam publica
arma.

³ Lucan. De do-
mino certamen e-
rit.

⁴ Lucan. in per-
sonâ Vultei, Li-
bera fortunæ mors
est. Eadem Por-
cia apud Martia-
lem, Nondum sei-
sus est, mortem non
posse negari?

*Libertas prostrata iacet. ² respublica partes
Non habet extincto Bruto. ³ certabitur exhinc,
Quem dominum Roma accipiat. superesse parenti
Si potui ob Brutum, potero superesse marito?
Hoc nolet Cato. Tam caros pete PORCIA manes.
Inter utrumque & tu monstrabere nobilis umbra.
Vi facienda via est. ⁴ ad vitam haud cogitur ullus.
Hoc decet uxorem Bruti natamque Catonis.*

XVI.

CLEOPATRA moriens ad Octavianum
Caesarem absentem.

¹ Vide quas Plutar-
chus scripsit de libe-
ris quos Cleopatra
Antonio enixa est.
² Vide apud eundem
quæ Charmion di-
xit mortua Cleopa-
tra ipsa moribunda.
³ Lucan. Et Ro-
mam ne nostra
quidem matrona
teneret. Horat.
- dum Capitolio
Regina dementes
ruinas, Fumus &
imperio pararet.
⁴ Nescio quis in-
famem Canopon
dixit.

*Tūne mihi ¹ regum matri, tot ² regibus ortæ;
Tūne mihi, ³ dominam nuper quam Roma timebat;
Tu mihi Caesareum expertæ Antonique cubile
Degener usque adeo pectus Romane putasti,
Vitæ ut amore tui paterer caput esse triumphî?
Romanos non sola animos tua Roma ministrat:
Digna exempla viris & ⁴ molli oriunda Canopo
Praebabit mulier. sit quamvis maxima Caesar;
Nil tua par nostræ referet victoria morti.*

XVII.

ARMINIUS ¹ Germaniæ liberator propin-
quorum dolo caesus.

² Tacit. 11. Annal.
in fine: dolo pro-
pinquorum cecidit.
Germaniæ haud
dubie liberator.
³ Intellige legiones.
⁴ Sueton. in Augu-
sto. Inde illud,
Quintili Vare
redde legiones.
⁵ Totos enim LVI
annos imperium
tenuit.

*Romanas potui vires contemnere, solus
Orbe ferente iugum liber. mihi Varus & unâ
² Tres aquilæ caesæ quantum abstulerint tibi Roma,
Et ³ capite alliso & lacrymis confessus obortis
Ille tui oppressor ⁴ felix. Quid profuit hostis
Arma armis vitasse meis? quid profuit, inquam,*

⁵ Hoste

Hoste ipso damnante nefas, vitasse venenum,
Si non & potui insidias vitare meorum?
Aequo animo fero fata: tuam Germania labem
Non aequo. Iam per totum memorabitur orbem,
Hosti contra hostem scelus haud placuisse farentem,
Contra assertorem patriae placuisse propinquis.

XVIII.

PAETVS CAECINA conspecto Arriae
vxoꝛis vulnere.

INuidiam isto animo PAETO facis Arria. Tūne,
Quam comitem leti optare improba vota fuissent,
Dux eris? accipio leti comitemue ducemue,
Exemplumque sequor quod debueram ipse praecire,
Nec plenum inuideo¹ generoso pectus honesto.
Quicquid de me homines dicent, hoc laus tua maior
Arria; fata rapis² nullo cogente tyranno.
Cura viri facinus docuit te audere virile.

¹ Tacit. Annal. 19.
non longe a 599.

² Persius: - inco-
stum generoso pe-
ctus honesto.

³ Iuuenal. - ven-
dunt nullo cogente
Nerone.

XIX.

M. SALVIVS OTHO Imp. se inter-
fecturus.

M¹ Agno animo imperium rapui; maiore relinquam.
Tot mihi deuotas animas mortique paratas
Donabo patriae. multorum arsere crnore;
Vnius exstinguat sanguis ciuilia bella.
Arma, duces adsunt, & opes, audaxque iuuentus
Prona duci; & quisquam nos desperasse putabit?
Eia animum sequere, & vulnus modo fortis ad vnum
Esto manus.² malletm dehinc nemo dicet OTHONEM.

¹ Totam hanc histo-
riam pulcherrime
exsequitur Tacitus
Hist. 1. & 11.
² Tacit. Hist. 11.
Non erat Othonis
mollis & corpori
similis animus.
Martialis epigram-
mate pulcherrimo.
Cum dubitaret
adhuc belli ciuilis
Enyo, Forstian &
posset vincere mol-
lis Otho. Iuuenal.
Ille tenet speculum
pathici gestamen
Othonis.

C

POLYXENA ad Achillis tumulum
immolanda.

Haurite infensi manes, haurite cruorem
Virginæum. Aeacida, thalamos quæ inuita subissem
(Raptati bigis neque enim Hectoris umbra tulisset)
Non inuita cado tibi victima. meta laborum hic.
Felices quos Troia tegit ¹ commune sepulcrum
Europaëque, Asiaëque, suique: beatior ipsa
Limine vitæ mortem si fata dedissent.
Viueno iam caesa Phrygum tot millia vidi:
Euersam vidi patriam fratresque peremptos,
Grandæuum & nati ² mactatum in sanguine patrem.
Curarum noua materies matérque, sororque,
Andromachéque, atque Iliades, si vita sequatur.
Cur superesse velim tantum victura dolori?
Tu genitrix, tu cara soror, vos Troades alto
Immites vectandæ ad heras, impendite vobis
Has lacrymas. Priamum & fratres ego libera viso.
Pyrrhe sacrum patri facias téque & patre dignum.

¹ Catullus in eo (ni fallor) carmine quo fratris mortem deflet: Troia (nefas!) commune sepulcrum Europæ Asiaëque.

² Quia ante aram Loui Herci caesus.

AIAX gladio incubiturus.

Errantis mentisque & dextræ sumito poenas
Infelix AIAX; errantis pendito poenas.
Supremum ad facinus opus est modo pectus & ensis.
Exaucloratae tibi dextra quiescere fas est
Ignauas tandem in pecudes armentaque fortis.
Quis scit an hic etiam deceptus imagine falsâ
Ludar, & AIACEM praesens euaserit AIAX?
Sic eat. at certè haec AIAX agit, haec agit AIAX:
Cui fata haec iam cumque parent, certè haec agit AIAX.

Vici-

*Vicimus errari nequit hic. Moriemur inulti?
Tentatum est quicquid decuit, sed numine laeno
In pecudes ira effusa est. ¹ ludibria non ² est
AIACEM debere iterum, nec viuere famâ
Affectâ ³ infensis risum. Moriamur inulti.
⁴ Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridae.*

XXII.

ANTIGONE in specum subterraneum
deducta.

Dli quibus umbrarum imperium est noctis que silentis,
Accipite hanc animam. sedes sperare quietas
Fata domus nostrae prohibent: nec poscere mens est.
Sat felix quacumque atri fratresque parentesque
Inueniens regione Erebi. Crudelia, diui,
Cur adeo exagitant fata infontesque piosque?
¹ Vestrum crimen erat, vestrum, fecisse nocenter
Oedipodem: vestro poenas pro crimine soluit.
Et nunc acta rea est damnataque fratris humati
ANTIGONE. Spiranti ergo das dire tyranne;
Spiranti das, exanimi quae iusta negasti?
Ne tumeas. ² SONTES etiam deprendit Erinnys.
Me sanè his grauiora iuuat pietate mereri.
Dii superi, infensos quos non inuita relinquo,
Inuisae si vota valent; seruate sororem
³ Haemonaque incolumes. non inuidiosa petuntur
Dii superi, ut potiar primis quae posco suprema.

XXIII.

SOPHONISBA venenum a Massanissa
missum hauitura.

Hunc metuit sexum Carthaginis aemula Roma,
Gradium quae iactat animum? Per sidera iuro

¹ Memini Horatium
dixisse, Tu nisi ven-
tu Debes ludibri-
um, caue. Enripi-
des quoque; Medea ait,
γίλωα ὄφλιν. e-
iusdem est, μω-
ρίαν ὄφλις κάττι.
Homer. Iliad. 2.
Ὀὐκ ἔσ' ὄφλις εἰς
τίον ἔπος ἀγί-
σασθαι.

² Homer. Δωμῶν
ἀσπὶς χέρι.
³ Virgiliano huic
versui vltro hunc lo-
cum poscenti negare
nefas dñxi. nec sanè
quemquam ipse a-
ptiorem commissi
potuisset.

⁴ Sic Cato apud Lu-
canum, Crimen eris
superi & me fa-
cisse nocentem. ubi
legerim nocenter.
Oratio verò pro per-
sona ficta est.

⁵ Theocrit. Εὔρα
αἰδὲ λὺν ἀγλῆρα.

⁶ Creontis hic filius,
cui desponsa Anti-
gone. Vide Sopho-
clis Antigona.

Quae linquo: Styga, Cocytum, Phlegethontaque teston
 Quos adeo; Pudet hostis. An hi potuere Syphacem
 Vincere, quos terret tantum non femina capta?
 Ille quidem indignis porrexit brachia vinclis:
 At mihi mens alia est. vinctam me nemo videbit.
 Non ego, Romulidae, vestros ornabo triumphos:
 Ad currum Libyco de sanguine sufficit vnus.
 Regum vt nescirem thalamos, nec patria diues
 Carthago, nec¹ adoratae pater Asdrubal esset:
 Attamen (& dubium est?) animos gestare viriles
 Iam debet quam Roma timet. Pulcherrima coniux:
 Dona mihi famam libertatēque dedisti:
 At coniux mihi fide satis, nimirumque Latinis,
 Sed tibi fide parum, hic non parere licebat:
 Ecquis enim causam non defendisset amoris?
 Sed bene & hoc. vincla auertent haec pocula nobis;
 Haec dement tibi, Roma, metum. Quaenam eluet aetas
 Hanc maculam tibi, tu quae orbis meditaris habenas?
 Si nescis, mulier de te iam, Roma, triumphat.
 Ad Styga vado libens. habeo solatia mortis.
 Scribetur tumulo: SOPHONISBAM ROMA TIMEBAT.

¹ Iuuenal. Ardet
 adoratum populo
 caput.

XXIV.

Preces ad DEVM OPT. MAX. cū insons
 reus agerer.

A Spice me rerum MAGNE ARBITER humanarum;
 Cui taciti mentis motus arcanaque nota;
 De mediā qui nocte diem, in caligine lucem
 Praesentem qui semper habes. da pandere verum,
 Da persuadere, & fraudes aperire scēlestas:
 Da PATER auxilium insoni, cui quaeritur vnum hoc
 Vt tibi surgat honos: quem si iactura salus.

¹ Falforum caelum.

Ger-

Certa meae redimat, properet iactura salutis:
 Sin verò (quod praesentem te in mille periculis
 Experto sperare licet) melioribus ausis
 Vilem animam tua seruandam clementia ducit;
 Eripe & his me INVICTE malis: neu praeda nocentum
 Iudicio obruar infando, poenâsque nocentum
 Perpetiar (quas en patior) tibi cognitus insons.
 Vidisti qui cuncta vides, ut crimine ficto
 (Cynthia iam amplexus fratris bis tēque petiuit)
 Coniurata manus scelerum fraudūque magistra
 Arguerit; quam nulla tui reuerentia flexit,
 Haud aequi haud ullus tenuit respectus honesti.
 Surge DEVS, validâque tuum decus asserere dextrâ:
 Surge DEVS, validâque meum ius asserere dextrâ.
 Scilicet erronem violento haud passus ab hoste
 Prosternei, sterni patiere ad signa reuersum.
 Non ita, vicinam mihi mens tranquilla salutem
 Promittit, iuuat ô quantum quantūque iuuabis
 Nil conscire mihi! toto nempe exul ab orbe,
 Nudus, egens, inter sordes, intēque tenebras,
 Et patriâ procul atque meis, vexatus ab hoste
 Insensò (at quantis instructo viribus hoste!)
 Laetus ago tamen, & diuinæ particulam auræ
 (Muneris hoc PATER ALME tui est totum) erigo caelâ,
 Te venerans quòd non leuibus dignūmque parēque
 Fecisti duxtiq̃ue odiis; quòd mille relictis
 Legisti ut vires scelus exerceret inanes,
 Inque caput fraus artificis scelerata rediret.
 Nos equidem indigni (fateor) quīs munus ad istud
 Vtaris (neque enim, ut decuit, tua iussa secuti
 Viximus) at tantò surget tibi gloria maior,
 Quanto qui premitur magno contemptior hosti est.
 Quin & causa tua est (audacibus OPTIME verbis

Da veniam) Tegere insones, verumque tueri,
Ipso te clamante tuum est. toleramus hac spe,
Et toleramus adhuc, etiam tolerare parati
(Te praebente animos) tantarum onus aerumnarum.

² Intellego Amplif-
simos viros Henri-
cum Vottonium
Sereniss. Britanniae
Regis apud Venetos
legatum, & Leonar-
dum Mocenicum e-
iusdem Reip. sena-
torem; illum eâ pru-
dentia, eloquentia,
doctrinâ, quae admi-
rationem mouet;
hunc praeter sum-
mam prudentiam,
gravitatem, iusti-
tiam, Romanâ
animi magnitudinem;
quorum uterque
(quamquam summâ
cum sua inuidiâ) fa-
litem innocentiam-
que meam contra
potentissimos ciui-
tatis acerrimo studio
propugnauit.

Cur dubitem certo augurio? qui turbine saeuo
Iactandae prospexisti retinacula, certè
Iactatae litusque dabis portumque carinae.
Quis furor audaces adigit me promere voces?
Fallor? an angusto consedit pectore numen
Augustum? tantusque subit magalia princeps,
Quem, qui cuncta capit, spatiosus non capit orbis,
Quem non circum orbem fusum vastum illud inane,
Nisi tamen ipse implet vastum DEVS illud inane.
Ipse DEVS, DEVS ipse stupenti haec carmina dictat.
Iam video ingentem (tuus est PATER ille) triumphum.
Deiectis in terram oculis subducere furtim
Sentio iam sese fraudes, ac vertere terga, &
Conatus meritas scelerati pendere poenas.
Iam portum mea prora subit³ ditata procellis.

³ Ad animi bonam
spem, quae, qui ad-
uersa expertus est,
per aduersa augeat
scit.

X X V.

Ad PETRUM PEREGRINUM Collegii Xui-
rum a secretis reum actum sed in-
sonem.

DELICIAE humani generis, cui luminis oras
Risere intranti Iuppiter atque Venus;
Purum oppone animum famae, PEREGRINE, prementi.
Forti animo irati temne minas pelagi.
Hic ictus sine vulnere erit. sine labe¹ penates
Ante dies paucos accipient reducem.
Te iuuat interea veros dignoscere amicos,
Atque animi robur nosse fidemque tui.
Anne (oro) exigua haec non magni praemia damni,
Nosse alios, ipsum te quoque nosse, putas?

¹ Talis euentus in-
dicis fuit.

MEN-

MENTEM hominum fortuna aperit.² SE nescit amari
Cui meliore aurâ carbasa plena tument.

² Lucan. felix est
nescit amari.

³ Rerum humanarum tibi nunc pars utraque nota est:
Altera nondum ictu pars modo nota fuit.

³ Simile apud Seneca-
cam. nescio ubi.

Laetam animo scisti modico tot ferre per annos
Fortunam.⁴ VIRTUS ferre grauem minor est.

⁴ Tacit. Hist. i.
Secundae res acri-
oribus stimulis a-
nimos explorant:
quia miseriae to-
lerantur, felicitas
corrumperitur.

XXVI.

In Amplissimi Viri LEONARDI MOCENICI Se-
natoris Veneti & Praetoris Brixia-
ni effigiem.

Siste gradum quisquis properas, & lumina fige hic.
Dignior est oculis nulla tabella tuis.

Hic est ille, hic est tutum MOCENICVS asylum,
Cum premit insontes visque scelusque reos.

Non damnis, non ille minis, odiiue potentum
Flectitur, Astraeam ut deseruisse velit.

I, totum scrutare orbem: par non erit alter.

Maiestas vultu hoc imperiumque nitet.

Orbe legi toto digna est tam pulchra tabella:

Orbe legi toto dignior ille tamen.

XXVII.

ANTONIO BOL DVO patricio Veneto.

Haud tanti hospes eram & fatis agitated iniquis,
Possem ut materies versibus esse tuis.

Laudo animum, laudo versus; verum magis illum,
Quamquam his tota cohors adfuit Aonidum.

Magni animi ANTONI est (uti nunc sunt tempora) magni, haud
Spernere quem quatiunt dira potentum odia.

Quanti erit ergo suis ultro me ornasse Camoenis,
Quas alius magno ambitiosus emat?

Nunc age, tu qui ultro gemmas aurumque dedisti
Immerito; vitrum, aes, accipe, sed facilis:

Accipe pro Cereris nunc spretas munere glandes:

Accipe pro Bacchi munere diues aquas.

Eiusdem tumulus.

Ipse loquitur.

PHoebø charus eram, non sicut vulgus. honesti
Verus amor, sceleris verum odium tenuit.
Parua haec fortè putas? mores hominum inspice, dices;
Magna haec sunt, imò maxima. sed taceo.

Epigrammatis, quod Serenif. Britanniae, &c.

Rex IACOBVS βασιλικῶ δώρῳ præfixit,
 paraphrasis.

Non temere illa hominum & diuūm suprema potestas
Augusto Reges dignata est nomine diuūm:
Nempe DEI solioque sedent & sceptrā gubernant.
Nec minùs hos illi par est submittere fasces,
Quàm populos Regum imperiis parère necesse est.
Ergo age, si, euectus tanta ad fastigia rerum,
Degere nate cupis longum feliciter æuū;
Illius obsequium imperiis præstare memento;
Promānent quæ iura dabis de lege Tonantis.
Ille suas quoniam voluit te fungier arteis,
Praemia digna ferant iusti: constantia cordi
Sit tibi: sit veri semper tibi cura bonique:
Atque hæc fixa altā sedeat sententia mente,
PARCERE SVBIECTIS ET DEBELLARE SVPERBOS.
Illius crede ante oculos te figere gressus;
Qui sontem præmit exitio, in sontemque tuctur.
His dignis Rege instructus virtutibus, olim
Caelestis vera effigies memorabere Regis.

• Symbolum Regis
 • sexto Aeneidos de-
 • promtum.

F I N I S.

honest
tenui
inspice
lacco.

Britan &c.
prax

supre
ne diuini
uberna


ces,
neceffe
rum,


mentis
antis.

is,
di

ente,
ARE RBOS.

tueta
lim







ORATIONES &
Carmina.

2050

Rara

915







4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

arbarte #13

B.I.G.

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



0 cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16

Inche Centi B

